



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 15. S. Gilberti Sempringamensis constantia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

## §. XV.

Sæcul. XII.

A. C. 1164.

*S. Gilberti Sempringamensis constantia.*

Nullius illorum, qui S. Archiepiscopi *vit. Gilb.*  
 causa persecutionem sustinuerunt, *mon. Angl.*  
 major constantia quam S. Gilberti Sem- *to. 2. p. 684\**  
 pringamensis fuit. Ad Regis aures de-  
 latum fuerat, quod Gilbertus aliique de  
 ejus familia Thomæ in Francia exuli ma-  
 gnâ argenti copiam transmisissent. Quamvis  
 vero falsa esset accusatio, quia tamen fidem  
 invenit, Gilbertus, omnes Præpositi & Ordinis  
 illius Procuratores coram Prætoribus Regis  
 respondere compulsi sunt, atque in mandatis  
 acceperant iudices, ut si hujus facti convince-  
 rentur, cunctos solum Angliæ vertere juberent.  
 Iudices commiseratione Gilberti, cujus sancti-  
 tatem non ignorabant, moti, modum obtulerunt,  
 quo se ab hac accusatione extricaret; si juramento  
 se purgaret, promittentes, quod sic Abbatem  
 cum suis absolutum dimissuri essent. Verum  
 Gilbertus edixit, se potius exiliî calamitatem  
 amplexurum esse, quam hujusmodi juramentum  
 editurum. Et si enim sciret, juramentum, comite  
 veritate, juranti nocere non posse, sed magis  
 illi, qui alium ad jurandum compellit, mali  
 exempli rem fore existimavit, in

Kk 5

tali



Sæcul. XII.  
A.C. 1164.

tali causa juramento objecta diluere, quasi vero crimen esset, Episcopo, pro Ecclesiæ utilitate persecutionem patienti, solatium & auxilium præbere. Ipso igitur jurare recusante, & Judicibus eum damnare tergiversantibus, aliquamdiu Londini cum suis commoratus est, qui cognoscentes periculum, propediem fore, ut e domibus suis expellerentur, ob detractionem juramenti, quod ipsi libenter præstarent, timore & tristitia afficiebantur, dum contra Gilbertus lætitiā maximam profitebatur. Ecce autem, cum præstituta dies illuxisset, omnesque mandatum abeundi e regno expectarent, adsunt nuncii, a Rege ultra mare commorante missi, literas afferentes, jubere Regem causam Gilberti differri, quoad per se ipsum de hac re amplius cognosceret. Illico Gilbertus cum suis dimittitur, tuncque, libertati restitutus, coram Judicibus affirmavit, nulla utens juramenti formula, simpliciter falsum esse, quod sibi fuerat objectum. Tanta Gilberti constantia in omnium animis admirationem peperit. Ceterum, post hæc annos viginti tres vitam traxit, & in Sabbato die quarta Februarii, qua die ab Ecclesia colitur ejus memoria, anno millesimo centesimo octogesimo nono, in Domino obdormivit.

*Monast.*  
*Angl. to. 3.*  
*p. 691.*

§. XVI.